

P H A R M A C E U T I C I S V T R I V S Q V E
Bauderoni, tum Parentis, tum Filij, laboribus
gratulatur hoc Epigrammate,

P H I L I P V S F O I L L A R D
Patronus Matisonensis.

I Ntestina, Iecur, Cerebrū, Cor, Viscera, Pectus
Democritus ferro vidit, & edocuit.
Hippocrates pepulit potu variante dolores,
Hic fontes aperit sanguinis, ille secat.
Delitias alter prohibet, Venerēmque recusat,
Hic calido Iecori vīna inimica vetat.
Denique diuersos Medicus sibi vendicat usus,
Vt morbos variā sedulitate necet.
Quis tamen, o nostri BAUDERI Epidaurius æui,
Doctiūs, & meliūs te docuisse feret?
Dulcia mellifluo tu condis Pharmaca succo,
Vtile cum dulci iungis, amara Rosis.
Inque tuis secum tractas pugnantia librīs,
Te colit Ægrotus, te quoque Sanus amat.
Sic liber hic, totum medicinæ continet orbem,
Aspera iucundis miscet, amica malis.
Quem Pater ediderat diuino ex semine Natum.
FILIVS, haud mirum est, Fratrē iterum genuit.
Castoris alternos sic Pollux prorogat annos,
Hoc Pater incepit, FILIVS egit iter.
Confusaque Patri natura tempora reddit,
Prōque annis centum, secula mille dabit.
Nulla senescenti vis est tam fertilis herbae,
Quām quæ primæuo vere tegente viret.
Quid mirare Senem iuuenis si Filius ornat?
Imberbis Medicis, semper Apollo fuit.